



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Qvæstio IV. Vtrum Deus ponatur directe in prædicamento.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95892](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95892)

dom; nam si prædicamentum constituitur ex modo prædicandi de substantia, & in omni accidenti per vos non datur nisi vnus modus prædicandi: ergo solum vnum prædicamentum datur; ponuntur ergo accidentia in prædicamento quatenus induunt diversam rationem generis, & speciei, & prædicantur de inferioribus essentialiter, cum autem tam in abstracto, quam in concreto sint genera accidentium vtroque modo ponuntur directe in prædicamento.

63 Ad secundum respondeo negando necessario debere poni accidentia secundum modum, aut nomen quo magis explicatur natura ipsius, nam licet perfectius sic ponantur vt diximus in vltima conclusione, & vltima probatione, nihilominus bene possunt poni secundum nomen, quod licet non tam perfecte, tamen recte explicat accidentia secundum conditiones requisitas ad essendum in prædicamento, quales sunt vt sit ens completum per se, cum vero albo hoc nomine significetur secundum has conditiones, licet non tam perfecte, bene tamen collocantur in prædicamento.

64 Ad argumentum vltimæ sententiæ respondetur concedendo maiorem, & negando minorem vt patet ex dictis.

QVÆSTIO IV.

Vtrum Deus ponatur directe in prædicamento?

SECTIO I.

Sententiæ aduersariorum probantur.

PRIMA sententiæ asserit Deum directe in prædicamento debere collocari, ita Gabriel in 1. dist. 8. quæst. 1. Gregorius, Robertus, Holcot, Marfilus, quibus faver non vltimè P. Hurtado in Metaphysica, disp. 9. sect. 4.

Probatur primo hæc sententiæ auctoritate Divi Augustini, sermone 3. in octavam Epiphaniæ, vbi docet quod decem categoriæ, quæ latine prædicamenta dicuntur de Deo in divinis literis, quædam proprie vt substantia, & relatio, quædam vero secundum metaphoram, & tropum vt habitus, & dispositio. Damascenus etiam videtur favere huic sententiæ lib. 1. de fide, cap. 9. vbi relationem proprie de Deo dici affirmat, nam Deo ita tribuit nomina filiationis, & paternitatis, vt hæc prædicata non à creatis translata fuerint ad Deum: sed potius è contrariis, quod probat ex illo Ad Ephesios 3. ex quo omnis paternitas in cælo, & in terra nominatur; capite autem 7. post quam dixit essentiam, quam alij dicunt substantiam esse supremum genus ait, huius autem summi generis species sunt primum id quod corpore vacat, & paulo post, complectitur enim ait essentia corpore vacans Deum, Angelum, animam, & demonem.

Secundo probatur auctoritate Aristotelis 4. Topic. cap. 2. loco 17. vbi ait Deum comprehendi à genere animalis, differreque ab homine per differentiam immortale, homo enim inquit est animal mortale, idem vivit, & moritur, Deus autem

sempiternum, & immortale animal.

Etiam Porphyrius collocat Deum in prædicamento substantiæ sub genere animalis rationalis cap. de specie, & cap. de differentia.

Tertio, ratione sic probatur, quia illud quod sub genere substantiæ collocatur, reperitur directe in prædicamento: sed Deus collocatur sub genere substantiæ; ergo Deus directe ponitur in prædicamento; minor sic probatur, illud de quo aliquod genus prædicatur sub tali genere collocatur, v. g. quia de homine prædicatur animal, homo collocatur sub genere animalis: sed de Deo prædicatur essentialiter genus substantiæ; ergo sub genere substantiæ collocatur Deus.

Quarto, quia si aliquid repugnaret quominus Deus collocaretur in prædicamento maxime simplicitas divina, nam omnia quæ sunt in prædicamento debent esse composita ratione: sed compositio rationis, quæ non iure compositio: sed constitutio dicenda, non repugnat simplicitati divinæ, quia solum est extrinseca denominatio ex solo modo nostro concipiendi; vnde sicut distinctio rationis non repugnat perfectæ, & summe identitati, ita nec compositio rationis simplicitati; ergo.

Quinto, quia si daretur quantitas, aut qualitas infinita directe collocaretur in prædicamento quantitatis, & qualitatis: ergo licet Deus sit infinitus, bene potest poni in prædicamento substantiæ, cum non detur maior ratio de vno prædicamento, quam de alio, nec de vno infinito potius, quam de alio.

SECTIO II.

Nostri sententiæ auctoritate probatur.

CONCLUSIO: Deus non ponitur directe in prædicamento substantiæ. Hæc est communis inter Doctores sententiæ, & probatur.

Primo auctoritate Divi Augustini libro de decem categoriis; vbi sic ait in principio capitis 8. eorum ergo quæ nulla sui copulatione dicuntur, quodcumque singulare dictum fuerit, aut vnam significat, aut quantitatem, aut qualitatem, aut aliquid, aut iacere, aut facere, aut pati, aut vbi, aut quando, aut habere: hæc sunt categoriæ decem, quarum prima vna est, scilicet quæ novem cæteras sublinet; reliquæ vero novem οὐ μετέχουσαι, id est accidentia sunt. Ex quibus novem sunt alia in ipsa vna, alia extra vnam, &c. Tunc sic, Sanctus Augustinus docet primum prædicamentum substantiæ, & quidquid est in ipso, aut sub ipso substinere, & recipere in se accidentia cæterorum prædicamentorum, vt qualitatem, vbi, &c. quod assumpsit ex Aristotele, qui cap. de substantia ait substantiam prædicamentalem substinere accidentibus, & à tali munere substandi denominari substantiam: atqui Deus nullo modo substat accidentibus, nec illis subiicitur vt expresse docet ipse Augustinus lib. 5. de Trinitate, cap. 2. ibi est tamen sine dubitatione substantia, vel si melius hoc appellatur essentia, quam Græci οὐσία vocant, sicut enim ab eo quod est sapere, dicta est sapientia, & ab eo quod est scire, dicta est scientia est, ita ab eo quod est esse, dicta est essentia.

Et quis magis est, quam ille, qui dixit famulo suo Moysi, ego sum qui sum, & dices filiis Israël,

X x x 3 qui

qui est misit me ad vos? sed alia (creaturae nimirum) quae dicuntur essentiae live substantiae capiunt accidentia, quibus in eis fiat, vel magna vel quantacumque mutatio. Deo autem aliquid eiusmodi accidere non potest, & ideo sola est incommutabilis substantia; vel essentia, quae Deus est, cui profecto ipsum esse unde essentia nominata est, maxime, ac verissime competit. Quod enim mutatur non servat ipsum esse, & quod mutari potest etiam si non mutetur, potest quod fuerat non esse, ac per hoc illud solum, quod non tantum non mutatur, verum etiam mutari omnino non potest, sine scrupulo occurrit, quod verissime dicatur esse, sic ille; ubi expresse docet id quod fide catholica sanctum est, Deum videlicet nulla in se sustentare accidentia, v.g. quantitatem, qualitatem, &c. ratione cuius initio *lib. 7. de Trinitate, cap. 1.* intelligamus Deum si possumus sine qualitate bonum, sine quantitate magnum: ergo ex sententia expressa Divi Augustini Deus non est in predicamento substantiae.

10 Quod confirmat ipse Cherubicus Doctor *lib. 7. de Trinitate, cap. 5.* ibi: res vero mutabiles neque simplices proprie dicuntur substantiae; Deus autem si subsistit, ut substantia proprie dici possit, inest in eo aliquid tanquam in subiecto, & non est simplex, cui hoc sit esse, quod illi est, & quidquid aliud de illo ad illum dicitur, sicut magnus, omnipotens, bonus, & si quid huiusmodi de Deo non incongrue dicitur. Nefas est autem dicere ut subsistat, & subsit Deus bonitati suae, atque illa bonitas non substantia sit, vel potius essentia, neque ipse Deus sit bonitas sua, sed in illo sit tanquam in subiecto. Unde manifestum est Deum abusive substantiam vocari, ut nomine visitatore intelligatur essentia, quod vere ac proprie dicitur, ita ut fortasse solum Deum dici oporteat essentiam. Est enim vere solus, quia incommutabilis est, idque nomen suum famulo suo Moyse enuntiavit, cum ait: Ego sum qui sum, & dices ad eos, qui est misit me ad vos, sic sanctus Doctor.

11 Licet haec verba clare nostrum negotium demonstrent, accipite alia evidentiora, quibus Divus ipse Augustinus aperte, & manifeste docet Deum nullo modo in predicamento collari *lib. de cognitione verae vitae, cap. 2.* ibi: nomine, & verbo ea exprimuntur, quae sub decem predicamentis humano corde concipiuntur; sed quod ex his nullum proprie Deo conveniat, manifesta ratio probat: nam si dixerimus, quod Deus substantia sit, quae omnibus subsistere tribuat, & per quam omnes res esse habeant, mox universalis, & individua de quibus substantia praedicatur, genera, & species in quibus versatur, simul, & novem accidentia, quae ei necessario inhaerent, animo occurrunt, quae cuncta liquent, quia minime in Deum concurrunt. Ex quibus verbis constat aperte Augustinum negasse Deum collocari in predicamento, & rationem tribuit: prima quia predicamentum substantiae talis est conditionis ut ipsi inhaereant accidentia, quod Deo nullo modo potest convenire: secunda, quia quidquid est in predicamento substantiae aut est genus, aut species, aut individuum compositum ex generibus, & speciebus, quod omnino alienum est à Dei simplicitate, & perfectione: ergo ex sententia Divi Augustini Deus nullo modo potest esse in predicamento substantiae.

12 Nec obstat quod P. Hurtado respondet, dicen-

do Deum cum his imperfectionibus non posse poni in predicamento substantiae, bene tamen latiori significatione posse in ipso collocari, sumendo substantiam predicamentalem pro primo conceptu rei, non inhaerente abstracto ab eo quod accidentibus Physicis substat.

Non inquam obstat hoc, quia licet substantia praedicamentalis, vel predicamentum substantiae possit abstrahi ab accidentibus, nihilominus predicamentum substantiae non potest abstrahi à generibus, & speciebus, quia de essentia praedicamenti est, quod sit generum, & specierum coordinatio, & nihil possit abstrahi à sua essentia, cum essentia sit id sine quo nec esse, nec intelligi potest res: atqui Deus nullo modo nec est genus, nec species, nec est sub genere, aut specie, ut ait Divus Augustinus, & Divus Thomas, & postea demonstrabitur: ergo nullo modo poterit poni directe in predicamento, quomocumque praedicamentum consideretur.

Item, quia licet substantia praedicamentalis possit abstrahi ab actuali inhaerentia accidentis, nihilominus quatenus praedicamentalis est, & quatenus de illa ut sic egit Aristoteles, non potest abstrahi ab hoc quod sit radix accidentium, & subiectum primum radicale illorum, quia ut postea videbimus, licet res possit abstrahi ab actuali proprietate sua, nihilominus non potest abstrahi à debito talis proprietatis, v.g. animae rationalis potest praescindi ab intellectu formali, minime autem potest praescindi ab intellectu radicali. Itaque quomocumque abstrahatur, & praescindatur substantia praedicamentalis semper est radix accidentium realiter sibi inhaerentium, quod illis verbis docuit Augustinus, substantia simul, & novem accidentia, quae ei necessario inhaerent animo occurrunt.

Sed Deus nullo modo est radix accidentium realium, quae in ipso inhaereant, ut ait ibidem Divus Augustinus illis verbis, quae cuncta liquent, quia minime in Deum concurrunt: ergo quomocumque concipiatur praedicamentum substantiae à Patre Hurtado, nullo modo potest Deus in illo collocari.

Præterea, quia non sunt alia praedicamenta in scholis præter ea, quae constituit Aristoteles, & de quibus agunt Divus Augustinus, & Divus Thomas, ex quibus novem sunt accidentia, & decimum quod est praedicamentum substantiae ab ipso Aristotele substat accidentibus: sed nullum horum ex constitutis ab Aristotele convenit Deo propter rationes dictas, ut ait Divus Augustinus, neque in illis potest collocari: ergo minime ponitur in predicamento Deus, quia praedicamenta de quibus loquimur, non sunt ficta à quocumque, sed recepta à tota schola, intra quorum terminos, & angustos cancellos nullo modo potest incomprehensibilis, illimitatus, & infinitus Deus comprehendi, ut mirabiliter Divus Augustinus docuit: sciendum Deum nullis verbis proprie exprimi, nulla posse cognitione comprehendi, quomodo immensus, & incomprehensibilis praedicaretur, si humanae loquutioni, vel meditationi includeretur: Nunc autem patet quam sit admirabilis cum omnibus linguis sit indicibilis, omnibus cordibus sit incogitabilis. Dialectica namque differendi potens, potenter quoque dubia definiciens, cunctas scripturas evibrans, & evicerans, cunctam humanam sapientiam annihilans, cum

cum in divinitatem intendit, tanta maiestatis luce repercussa, pavidum caput tremefacta resse-
dit, atque in abdita mundana sapientiae fugiens
delitescit, dissolutisque syllogismorum nexi-
bus, stulta obmutescit. Nempe nomine, & ver-
bo cuncta exprimuntur, quæ sub decem prædi-
camentis humano corde concipiuntur: sed quod
ex ijs nullum proprie Deo conveniat manifeste
ratio comprobatur. Nam si dixerimus quod Deus
substantia sit, quæ omnibus subsisteretribuat, &
per quam omnes res se habent, mox vniuersalia,
& individua de quibus substantia prædicatur,
genera, & species in quibus versatur simul, &
novem accidentia, quæ ei necessario inhaerent,
animo occurrunt, quæ cuncta liquet, quin mi-
nime in Deum concurrant, sic Divus Augu-
stinus.

17 Cuius vestigijs insistens Boëtius lib. 1. de Tri-
nitatē, cap. 5. & 6. hæc profert verba, dñem
omnino traduntur prædicamentā quo de rebus
omnibus prædicantur substantia, quantitas, &c.
at hæc cum quis in divinam veterit prædi-
cationem cuncta mutantur, quæ prædicari pos-
sunt, nam substantia illa non est vera substantia,
sed ultra substantiam prædicamentalem inquam,
quod videtur transcripsisse ab ipso Augustino
lib. 7. de Trinitate, ubi sic ait: unde manifestum
est Deum abusive substantiam vocari (prædi-
camentalem videlicet) vt nomine visitatori intelli-
gatur essentia, quod vere ac proprie dicitur, ita
vt fortasse solum Deum dici oporteat essen-
tiam, esse enim vere solus, quia incommunica-
bilis est.

18 Et 7. Confessionum cap. 11. Insuper inquit, cæ-
tera infra te, & vidi, nec omnino non esse, esse
quidem quoniam abs te sunt, non esse autem, quo-
niam id quod es non sunt, id enim vere est, quod
incommunicabiliter manet, ideoque Magister
sententiarum Augustini studiosissimus in 1. diff. 8.
ex dictis Augustini, & verbis illius colligit
prædicamenta artis dialecticæ Dei, naturæ mi-
nime convenire.

19 Quia vt ait Damascenus lib. 1. de fide, cap. 4.
Dei excellentia illimitata, & infinita perfectio
superat omnia, quæ nostra cognitione angustijs
prædicamentorum concluduntur, ideo autem
inquit impossibile est quidā essentia sua, ac na-
tura ipsa sic dicere, aut aliquo ordine rerum com-
prehendere, aptiusque est ex omnium rerum su-
bstantia, atque institutione orationem habere,
neque enim eorum quæ sunt, quidquam est, quod
quidem non ita accipiendum est quasi non sit:
sed quia supra omnia quæ sunt ipse sit, atque
adeo supra ipsum esse, quod idem repetit libro
primo eiusdem orthodoxæ fidei, cap. 8. dicens divinam
essentiam esse omnibus substantijs superemi-
nentem, & ab omni substantia exceptam.

SVBSECTIO I.

*Aliorum Patrum auctoritate firmatur
Conclusio.*

20 Divus Anselmus in monologio Deum à serie, &
tractatu prædicamentorum, his verbis exclu-
dit. Quomodo quis, inquit summam naturam
in aliarum substantiarum tractu contineri in-
telligit, quæ nec in plures substantias, se divi-
dit: nec in vnam cum aliqua alia per essentia

communicationem se colligit, sic ille; nec minus
clare Divus Fulbertus Cainotensis conclusio-
nem nostram hac verborum serie, & ordine ex-
pressit; illius immensa maiestatis naturam qui
terminis claudi, qui prædicamentis concludi,
qui aliquo ordine rerum comprehendi, aut cir-
cumscribi asseveret, indigne proculdubio de tam
infinito numine omnia sua potentia comprehen-
dente, omnia sua perfectione superante, sentiet,
sic ille.

Ad id quod omnia superat, inquit, Divus 21
Dionysius 7. de divinis nominibus, via, & ordine
pro virili parte, omnium detractio, & præ-
stantia, omniumque causa ascendimus, itaque in
omnibus Deus noscitur, & sine omnibus: scien-
tiaque Deus noscitur, & ignoratione, quare idem
Dionysius de mystica Theologia, cap. 7. de Deo ita
loquitur, profitemur, nec animum esse, nec men-
tem, nec visionem, aut opinionem vel ratio-
nem, vel mentis notionem habere, nec ratio-
nem esse, nec mentis perceptionem; quibus ver-
bis Deum ab omni ordine, serie, seu prædi-
camento creaturarum, quomodocunque expellit,
quod adeo verum est vt Cyrillus non solum præ-
dicamentum genus, & speciem: sed etiam diffe-
rentiam Deo neget, quia hæc inquit lib. 11. Te-
sauri in compositis tantum reperiuntur, Deus
autem simplicissimus est.

Mitto Eliam Cretensem in Nazianzeni ora- 22
tionem, & alios.

Solum hoc Sanctorum Patrum agmen claudam 23
Angelici Doctoris Divi Thomæ verborum robo-
re, & auctoritate, qui 1. p. quaest. 3. art. 5. non so-
lum tuetur hanc sententiam, (vt patet ex illis
verbis in corpore articuli. Respondeo dicendum
quod aliquid est in genere, hoc est in prædi-
camento vno modo simpliciter, & proprie, alio per
reductionem, neutro autem modo Deus est in ge-
nere) sed etiam tribus fortissimis rationi-
bus probat toto illo articulo: defendit etiam
hanc sententiam lib. 1. contra gentes, cap. 25. & lib.
de potentia, quaest. 6. & 7. quam sequuntur etiam
Bonaventura, Albertus Magnus, Scotus in 1. diff.
8. Suarez in Metaph. disp. 30. Vazq. 1. p. Alexan-
der Aletius, & alij.

SVBSECTIO II.

*Auctoritate Aristotelis firmatur nostra
Conclusio.*

DE auctoritate Philosophi non potest dubi- 24
tari primo, quia cap. de prædicamento sub-
stantia, tres proprietates tribuit rebus existentibus,
& collocatis in tali prædicamento, prima
est quam his verbis in fine capituli assignat Ari-
stoteles tanquam proprietatem cōiunctissimam,
& omnino inseparabilem à substantia, maxime
vero inquit substantia proprium hoc esse vide-
tur, idem inquam vnumque numero permanens
contrariorum esse susceptivum, quale nihil in
his quæ substantia non subeunt rationem pro-
ferre possit, quod vnum numero cum sit recipere
in se contraria possit, negotiumve idem numero
bonum, malumque dicatur, & homo quidam
vnus, & vitiosus atque studiosus.

Secunda proprietas ab Aristotele tributa sub- 25
stantia prædicamentali est quam his verbis as-
signat, substantia enim ipsa sui mutatione con-
trariorum

trariorum sunt susceptrices, si sit enim ex calido quidpiam frigidum mutatur sane, alteratur enim, ut patet, & similiter, si sit studiosum è vitio, quare saltem hoc quidem modo substantiæ proprium erit ipsam sui mutationem susceptricem, &c.

26 Tertia proprietas predicamenti substantiæ his Verbis assignatur ab Aristotele in medio capituli, omnia enim, inquit, quæ ab ijs prædicata sumuntur, aut de individuis, aut de speciebus prædicantur à prima, namque substantia prædicatio nulla fit, secundarum vero substantiarum, species quidem de individuis prædicantur, genus autem, & de specie prædicatur, & de individuo, iam vero, & rationem primæ substantiæ, specierum, generumque suscipiunt, & species generis, quæcunque enim de prædicato dicuntur, ubi aperte ait omnia quæ in prædicamento esse, aut genera, aut species dici, etsi individua subiecta tamen generibus, & speciebus.

27 Ex his tribus proprietatibus sic argumentor. Aristoteles ait illud esse in prædicamento cui conveniunt tales proprietates, & è contra illud non collocari cui tales proprietates minime conveniunt: sed Deo secundum Aristotelem nulla ex ijs proprietatibus aut convenit aut convenire potest; ergo Deus in sententia Aristotelis non ponitur in prædicamento: maior, & consequentia sunt clara, minor sic probatur, & de prima proprietate sic demonstratur, quia contraria illa sunt vera, & realia accidentia: sed Deus ut docet Aristoteles 12. metaphysicæ, text. 41. nullis substantiarum accidentibus, nec ea potest in se recipere; ergo Deo non convenit prima illa proprietas requisita ad existendum in prædicamento. De secunda proprietate sic patet, quia ut patet ex Aristotele 9. metaphysicæ, text. 17. & 12. metaphysicæ, text. 8. & 3. Physicorum, text. 32. in æterno Deo non datur mutatio, quod demonstrat Aristoteles 8. Physicorum, & 12. metaphysicæ, ratione illa, quæ ibi à Philosophis adducitur, omne quod movetur ab alio movetur; supremum cælum movetur: ergo ab alio; vel ergo ille motor movetur etiam, & sic indigebit alio motore de quo iterum eadem redibit quæstio, cum ergo non possit in infinitum procedi, sistendum erit in primo motore omnino immobili, quem vocamus Deum, quam argumentationem, ut demonstratio fiat non de motu physico, sed metaphysico debemus intelligere; ergo Deo non convenit secunda proprietas mutabilitatis ex Aristotele. Quod autem tertia proprietas non conveniat Deo patet ex Aristotele, qui 12. metaphysicæ, 4. text. 17. & 3. Physicorum, text. 32. negat Deo ullomodo convenire potentiam tam physicam ut est materia, quam metaphysicam ut est genus: sed quod est in prædicamento, aut est ipsum genus, aut compositum ex genere ut species, aut individuum si in prædicamento collocatur, quia generi, & speciei subijcitur; ergo Deo non convenit tertia proprietas; ergo Deo nulla ex illis proprietatibus ex Aristotele convenit, assignatis his quæ in prædicamento collocantur, ex quo evidenter sequitur in sententia Aristotelis nullo modo Deum in prædicamento collocari.

SECTIO III.

Rationibus confirmatur nostra sententia.

Prima, quia Deus solum constituitur prædicatis transcendentibus, ita ut omnia prædicata superiora, quæ reperiuntur in illo, imbutantur in ultimis differentiis Dei: sed huiusmodi constitutum nullo modo potest collocari in prædicamento; ergo Deus in illo non collocatur.

29 Maior est certa, quia omnia prædicata superiora Dei sunt ens, substantia, spirituale, vivens, intellectuale, completum: sed omnia hæc transcendent ultimas differentias Dei; ergo omnia prædicata superiora constitutiva Dei sunt transcendentia, ac proinde Deus solum constituitur prædicatis transcendentibus, &c. Maior est evidens, minor sic probatur, & de ente, substantia, & cæteris prout abstrahunt à completo, & incompleto sic probatur, nam differentia Dei ultima per quam distinguitur ab omni creatura est esse increatum; ergo necessario est ens, quia esse, & ens sunt synonyma: sed esse increatum non est accidens, cum sit constitutum infinitum, & perfectissimæ substantiæ: ergo est substantia, quia talis differentia constituit Deum in esse omnino independentis ab alio, vel tanquam à causa, vel tanquam à subiecto: ergo ex vi talis independentiæ constituitur in esse entis per se infinite perfecti: sed ens per se infinite perfectum est substantia infinite perfecta: ergo talis differentia constituit Deum simplicissime in esse substantiæ: ergo ipsa differentia, quæ constituit Deum in tali esse est substantia perfectissima, quia quatenus talis differentia est ens increatum: sed ens increatum est ens per se omnino independentis, ac proinde substantia eminentissima: ergo.

Tunc sic, hæc differentia quatenus substantia perfectissima, est omnino immaterialis, nullamque corporis rationem concernens, ac proinde omnino purissima, & ab omni materiæ facis concrectione segregata, nullasque habens partes: ergo est spiritualis, & vivens intellectualiter, quia omnis substantia spiritualis est in gradu intellectuivo, ut videre est in Angelis, & anima rationali: sed quidquid est in gradu intellectuivo est vivens intellectuale: ergo differentia ultima Dei, quæ est esse increatum est substantia spiritualis vivens intellectualiter; ergo omnia prædicata superiora Dei prædicantur directe de ultima differentia Dei, scilicet de esse increato; ergo omnia illa prædicata transcendent ultimam differentiam Dei.

31 Quod autem ultimum prædicatum, scilicet completum transcendat ultimam differentiam Dei, sic demonstratur. Quia illa differentia quidquid sit, & quomodocumque sumatur, est ens increatum: unde ens omnino à se: sed huiusmodi est omnino illimitatum in suo esse, secundum omnem perfectionem: ergo infinite perfectum, ac proinde continens omnem perfectionem simpliciter simplicem in essendo: sed esse completum est perfectio simpliciter simplex, ac proinde formaliter attribuitur Deo; ergo inter infinitas perfectiones quas continet esse increatum differentia videlicet Dei habet hoc quod est esse completum; ergo ens, substantia, vivens, intellectuale, & completum.

pletum directe ac formaliter praedicantur de tali differentia; ergo omnia praedicata superiora transcendunt ultimam differentiam Dei.

Deinde quia illa differentia est actualissima, & purissima, ac proinde debet esse actualissime sine ulla potentialitate: atqui si non esset completa haberet potentialitatem: ergo de se formalissime est completa; haec minor sic probatur, quia omne incompletum, & quod concipitur per modum partis est perfectibile per unionem ad partem, & per constitutionem totius, nam pars dum vnitur alteri acquirit suum finem, constitutionem nimirum totius, nam pars vt medium ordinatur ad constitutionem totius tanquam ad finem ultimum, finis enim partis vt inquit Aristoteles est totum: atqui acquisitio formalis finis ultimi est perfectio, & ideo beatitudo formalis est perfectio creaturae intellectualis, quia est acquisitio formalis, ultimi finis illius. Item potentiae vitales perficiuntur per operationes, quia vniuntur illis tanquam finibus propriis, finis enim potentiae operatio est, vt inquit Philosophus; ergo pars perficitur intrinsece per unionem ad partem, quia tali unionem constituit totum, & existit in statu completi, sed omne quod perficitur per aliquid distinctum a se eo modo quo distinguitur ab illo est perfectibile per illud vt de se patet, & inductione manifesta omnium aperte constat, perfectio enim, & perfectibile sunt correlativa; ergo pars, seu conceptus incompletus est perfectibilis: atqui omne perfectibile dicit potentialitatem ad perfectionem; ergo omnis pars, seu conceptus incompletus dicit potentialitatem; ergo si differentia Dei esset completa, sed incompleta formaliter haberet potentialitatem perfectibilitatis, ac proinde non esset purissime actualitas.

Sed est purissima, summa, & infinita actualitas sine mixtione ullius potentialitatis; ergo est purissimus conceptus completus formalissime sine ulla imperfectione partis, & incompleta rationis; ergo ratio completi praedicatur formalissime de illa.

Illam minor est manifesta, quia si differentia ultima non esset pura, & summa actualitas sine ulla potentialitate nihil esset a quo Deus pure actualis sine ulla potentialitate in esse puri actus constitueretur: sed hoc est falsum, quia Deus est purissimus actus: ergo differentia Dei per quam constituitur Deus est purissima, simplicissima, summa, & omnia actualitas sine ulla potentialitate, ac proinde formalissime completa; maior illa sic demonstratur, quia nihil est in Deo quod non habeat a suis constitutivis essentialiter, quia constitutum nihil habet, nisi quod accipit a constitutivis, sed in Deo non dantur nisi duo constitutiva, vnum commune Deo, & creaturis, alterum proprium Dei scilicet ultima differentia illius: sed a primo constitutivo communi creaturis, & ipsi Deo non potest constitui in esse purissimi actus, (quia nemo dat quod non habet, sed constitutum commune creaturis, non habet rationem actus purissimi, alias communicaret talem rationem creaturis, quas constituit essentialiter, quia quidquid conuenit primo intentionaliter superiori, conuenit omni constituto per illud, secundum illud axioma dici de omni; ergo debet accipere Deus rationem actus puri, & constitui in tali ratione ex vi differentiae ultimae, quia non est aliud constitutum a quo possit Deus, R. P. Ideph. de Penafiel, Theol. Schol. Tom. I.

accipere rationem actus purissimi; ergo si differentia ultima Dei non est purissima actualitas, non est a quo possit constitui in esse purissimi actus sine ulla potentialitate.

Tunc sic illa ultima differentia Dei, quia pure actualis est, est completa, ac proinde non est pars, nec incompletus conceptus Dei; ergo est ipsum esse completum Dei formalissime, ita vt non distinguatur a Deo tanquam includens ab inclusio, vel vt melius loquar tanquam inclusum ab includente, quia si hoc esset verum, Deus formalissime contineret in se duos conceptus se excludentes formaliter, ac proinde componentes totum includens se ipsos, quia distinctio includentis ab inclusis in toto respectu suorum constitutorum supponit, vel indicat distinctionem excludentis ab inclusio inter duo constitutiva talis totius, vt videre est realiter in homine, quatenus constituitur a materia, & forma a quibus realiter diuisim distinguitur distinctione includentis ab inclusio, quia materia, & forma inter se distinguuntur distinctione excludentis ab exclusio realiter, & idem est formaliter per rationem in ipso homine, quatenus constituitur ab animali, & rationali; ergo si Deus distinguitur distinctione includentis ab inclusio a propria differentia formaliter, differentia, & conceptus communis distinguuntur inter se in Deo distinctione excludentis ab exclusio formaliter; ergo formaliter vna ratio constitutiva non includitur in alia, ac proinde simplicissime non constituent Deum: sed potius component illum formaliter vt duae partes, vel vt duo conceptus incompleti, ac proinde vt duae rationes potentialitatem perfectibilitatis continent; ergo in neutra datur pura, summa, & infinita actualitas vt iam probauimus, ac proinde Deus non erit purus, & summus actus, quae sunt absurda manifesta.

Ne ergo haec contingant, dicendum est differentiam ultimam esse completissimam, a qua nullo modo distinguitur Deus distinctione includentis ab inclusio, sed solum per maiorem, & minorem expressionem eiusdem conceptus; unde neque conceptus communis distinguitur a differentia Dei distinctione excludentis ab exclusio formaliter: sed solum per maiorem, & minorem expressionem, eo modo quo ens vt sic distinguitur ab homine, & ab ultima differentia illius: sed ad hoc omnino necessarium est vt conceptus communis, qui solum distinguitur per maiorem, & minorem expressionem a differentia ultima includatur in illa, imbutur in ipsa, & transcendat eandem formalissime, ideo enim, & non propter aliam rationem distinguitur ens vt sic non distinctione excludentis ab exclusio, sed solum per maiorem, & minorem expressionem, quia ens vt sic transcendit ultimas differentias inferiorum: ergo si conceptus omnis qui reperitur in Deo communis Deo, & creaturis distinguitur solum a differentia ultima Dei per maiorem, & minorem expressionem solum, transcendit sine dubio talem ultimam differentiam Dei; ergo ens, substantia, vivens, intellectuale, completum transcendunt ultimam differentiam Dei, quia haec omnia praedicata sunt communia Deo, & creaturis, v.g. Angelis, Archangelis, Cherubin, & Seraphinis: sed talia omnia praedicata Deo, & creaturis sunt superiora praedicata Dei: ergo omnia praedicata superiora ipsius transcendent sine dubio ultimam differentiam eiusdem, ac proinde

V y y

proinde Deus solum constituetur prædicatis su-
perioribus transcendentibus.

- 37

prius. manifeste occluditur additus solu- 40

vincunt manifeste nuper dicta.

de cognitione vera vite. 9. 7.

pletum. *Ad idem. sunt verba illa secun*

transcendentaliter includit
... amplius demonstrant verba illa; Vnde

nificat; unde lentus

Quaest. IV. Vtrum Deus ponatur, &c. 539

ciptem esse increatum, & independens Dei, ex vi perfectionis esse increati, & ex vi inclusionis essentialis omnium perfectionum in illo non posse significare aut repraesentare, concipere, aut intelligere tale esse increatum, quin etiam in ipso repraesentet, & cognoscat inclusam esse omnem perfectionem.

45 Tandem, quia si illud esse increatum in re est infinitum simpliciter totam illam infinitatem essentialiter includit, quia de ratione entis infiniti simpliciter est vt totam illam perfectionem optimo includat, ac proinde essentialiter: ergo quantumcumque praecindatur in conceptu illam, & omnem perfectionem includit, quia non est maior ratio de perfectione infinitatis, quam de ceteris, licet mens nostra non expresse, neque formaliter de illa cogitet, & ideo ait Dionysius *cap. 12. de divinis nominibus*, vnde divinum esse est, quia omnia vnice est secundum eminentiam unitatis, quae eminentia includit tam unitatem conceptus, quam realem; vnde cum ens, substantia, spirituale, vivens, intellectuale, completum sint perfectiones simpliciter simplices sine aliqua imperfectione, tam secundum rem, quam secundum conceptum includuntur, & imbibentur in esse increato, ipsumque transcendent, quod est differentia ultima Dei: atqui haec perfectiones sunt omnia praedicata superiora Dei; ergo omnia praedicata superiora illius sunt praedicata transcendentia, solumque praedicatis transcendentibus constituitur Deus.

46 Haec omnia in sententia P. Hurtado cum quo praecipue pugnamus clarissima sunt; nam in Logica *disp. 9. sub sectione. 8. §. 101.* sic ait, ex dictis liquido constat rationem entis esse analogam Deo, & creaturis, item rationem substantiae completae, quia licet haec non transcendat ens creatum, transcendit tamen ens divinum, quia quidquid est in Deo est formaliter substantia completa, sic ille.

47 Et in metaphysica *disp. 20. de Deo, sect. 2. §. 17. in fine*, sic ait, tum etiam, quia Deus est ens a se, id est in nullius potentia continetur; ergo eius propria differentia est actualitas, quae includitur formaliter in ente a se; hoc enim excludit omne genus potentialitatis, quae excluditur per actualitatem formaliter; & a §. 20. illius sectionis, & sequae ad §. 24. inclusive, probat ultimum constitutum Dei, & ultimam differentiam illius esse purissimam, adualissimam, & completissimam intellectiorem substantialem, de cuius conceptu sunt praedicata omnia superiora de quibus agimus; ergo omnia praedicata superiora Dei transcendent sine dubitatione ultimam differentiam Dei.

Minor prima, & praecipua demonstratur, quia 48 omne quod est directe in praedicamento est compositum per rationem simpliciter ex praedicatis superioribus, & ultimam differentiam, ita vt habeat esse per compositionem rationis simpliciter: sed quod est constitutum solum a praedicatis transcendentibus superioribus non est compositum simpliciter per rationem; ergo huiusmodi constitutum nullo modo ponitur in praedicamento. Maior patet, quia cum praedicamentum sit ordinatio generum, & specierum, quidquid est in illo genere, & differentia constituitur: sed quidquid est huiusmodi vera, ac simpliciter compositione rationis constituitur; ergo. Minor satis late probata manet *disp. de genere, quaest. vtrum genus contineat actu differentiam*; ubi ostendimus inclusionem

R. P. Adeph. de Peñafiel. Theol. Schol. Tom. I.

vnus in alio impedire compositionum rationi, inter illa, quod multis exemplis illustratum est, vt exemplo entis, quod non componit per rationem, quia transcendit, &c. videantur ibi. Sed quod constituitur solum praedicatis transcendentibus constituitur conceptibus quibus vnus includitur in alio: ergo conceptibus vel praedicatis non componentibus, ac proinde Deus qui talibus praedicatis constituitur non erit compositus simpliciter per rationem.

Vergetur, & declaratur amplius, quia omnia 49 praedicata quae sunt in recta linea praedicamentali sunt vniversalia essentialia: sed omne vniversale essentialia directe positum in linea praedicamentali est aut vnum in multis specie distinctis, aut in multis solo numero differentibus; si primum est genus, si secundum species; ergo quidquid est in linea recta praedicamentali, v.g. substantiae est genus, vel species; ergo individuum, quod sub tali linea continetur constituitur generibus, & speciebus: sed in Deo nullum est genus neque species: ergo Deus non est sub linea praedicamentali substantiae; minor haec sic probatur, primo, quia omne genus, & species sunt extra rationem differentiae inferioris cuius genus, & species sunt, vt videre est in animali respectu rationalitatis, & in homine respectu petreitas, sed nullus conceptus superior datur in Deo, qui sit extra differentiam ipsius ex eo quod omnis conceptus superior transcendit differentiam ultimam Dei, vt supra late demonstratum manet; ergo in Deo nullum est genus neque species: ergo Deus non componitur simpliciter ac proinde non erit in linea praedicamentali.

Secundo sic probatur eadem minor, quia genus 50 vt sic non potest dicere infinitam perfectionem, cum sit quid informe, & potentiale, nec includat actu perfectionem differentiae, nec differentia propria correspondens generi, & contrahens ipsum potest similiter dicere infinitam perfectionem cum non includat perfectionem generis: ergo ex tali genere, & differentia non constituitur infinita essentia: ergo simpliciter repugnat infinitam essentiam simpliciter ex genere, & differentia componi; quo circa licet in Deo possit concipi aliqua ratio communis Deo, & creaturis, & aliqua ratio propria Dei, non tamen possunt in Deo concipi ratio determinabilis, & ratio determinans ita praecise vt neutra in altera essentialiter includatur; est enim hic modus compositionis proprius rei finitae, quae ex vi suae differentiae constitutivae includat limitatam, ac praecisam aliquam perfectionem: sed illa determinatio simpliciori modo concipienda est eo modo quo supra diximus; ergo omnis compositio generis, & differentiae ableganda est a Deo, & omnino excludenda ab ipso.

Vergetur, vel praedicata generica, quae ponentur 51 ad constituendum Deum in tali praedicamento essent finitae perfectionis, vel infinitae: si finitae cum Deus sit infinitae perfectionis aliqua perfectio erit in Deo ultra perfectionem sui generis, aut ergo ea perfectio addita generi ad constituendum Deum est finita, vel infinita: si finita: ergo non constituit Deum in esse infiniti per vnionem, & additionem ad genus, si quidem finitum finito additum, non facit quidquam infinitum; si infinita: ergo in ea invenitur omnis perfectio divina, neque superaddi potest alia perfectio, quae non includatur in illa, imo ipsa ratio generica include-

Y y 2 tur

tur in tali differentia infinita simpliciter, quia in infinite perfecto per essentiam, & a se, ex eo quod omniperspectum sit, debet reperiri omnis perfectio: ergo illud quod vocatur genus vere non erit genus, quia genus non includitur in differentia.

2 Dices illum conceptum abstrahi a finito, & infinito. Bene: ergo non est infinitum, sicut animal quod abstrahit a rationali non est rationale, si autem differentia sit finita quæ additur illi conceptui abstrahenti a finito, & infinito, ac proinde non infinito, sine dubio ex tali additione non resultabit aliquod infinitum simpliciter, quia ex non infinito, & ex finito non fit infinitum sed finitum; unde non Deus, ut patet in compositione hominis qui finitus est, & clarius in angelo, angelus enim finitus est, quia ens, substantia, spirituale, vivens, intellectuale non sunt infinita, cum abstrahant ab infinito, & finito, & cum ex alio capite differentia angeli addita illis predicatis est finita, totus angelus superiora Dei non sunt infinita, & differentia addita illis ad constituendum Deum est finita, Deus non erit infinitus, sed finitus, unde non Deus quod est contradictio; si autem infinita sit differentia, non erit infinita in aliquo genere, sed potius in omni, quia Deus, qui ab illa constituitur, & accipit esse infinitum, non habet illud in aliquo genere, sed in omni: ergo includit in se formalissime, & essentialiter omnem perfectionem, quæ formaliter est in Deo: sed omnia illa predicata superiora sunt perfectiones formaliter contenta in Deo: ergo includuntur formalissime, & essentialiter in differentia ultima Dei: ergo non componunt Deum simpliciter per rationem: ergo Deus directe non ponitur in predicamento, quia quidquid ponitur in illo est compositum simpliciter per rationem ex genere, & differentia.

SUBSECTIO I.

Secundum, & tertium argumentum pro nostra sententia ponuntur.

53 **S**ecundo sic argumentor principaliter, quia nullus conceptus est in predicamento substantiæ, qui non sit analogus respectu Dei, & creaturarum, secundum principia Patris Hurtado: sed predicamentum non potest componi ex predicatis analogis: ergo Deus non est in predicamento substantiæ cum creaturis; maior sic demonstratur, quia secundum principia Patris Hurtado, transcendentia conceptus in ultima differentia rei constituit analogiam in tali conceptu, ut ipse docet in Logica disp. 9. sect. 3. sub-sectione 5. §. 70. ibi, opinantur alij analogiam propriam consistere in transcendentia, quibus libens assentior, quia per transcendentiam facile explicatur proportionalis convenientia conceptus obiectivi, sic ille: sed nullus conceptus est in predicamento substantiæ, qui non transcendat ultimam differentiam Dei: ergo nullus conceptus est in predicamento substantiæ, qui non sit analogus, &c. minor hæc sic probatur, quia ultima differentia Dei ut supra vidimus in sententia P. Hurtado est pura intellectio completa substantialis: ergo de tali ultima differentia predicantur hæc predicata formaliter substantia intellectualis completa: ergo talia predicata transcen-

dunt ultimam differentiam Dei; patet hæc consequentia, quia nihil aliud est transcendere conceptum superiorem differentiam, nisi quod talis conceptus formalissime predicetur de illa, & ideo ipse P. Hurtado ait ubi supra sect. 8. §. 101. substantiam completam transcendere ultimam differentiam Dei, quia illa est substantia formaliter, &c. ac de illa substantia formaliter predicatur: sed ultima differentia Dei est formalissime substantia completa, ut nunc Hurtado asserit, vivens, ut ipse docet in Metaphysica disp. 20. sect. 2. num. 21. ibi: in hoc conceptu (loquitur enim de differentia ultima Dei) includi rationem vitæ nulli potest esse dubium, quia Deum necessario apprehendimus in aliqua specie perfecta, vivens autem est omnium perfectissima; imo, & necessario intelligimus Deum actualem vitam. Item hæc vita, quæ includitur in formalissima differentia Dei est intellectualis, ac proinde purissima intellectio, ut hic auctor probat late *vera illa sententia*: ergo talis differentia ultima Dei formalissime est substantia, vivens, intellectualis, completa, ac proinde de illa formalissime predicantur omnia illa predicata: ergo omnia illa transcendent talem differentiam, ac proinde omnes illi conceptus erunt analogi, & non univoci, & sic sine dubitatione fallitur Hurtado in metaphysica disp. 9. sect. 4. §. 51. in fine, dum ait quid? Deo, & creaturis datur conceptus substantiæ intellectualis univocæ communis, nam substantia intellectualis non est transcendens formaliter: fallitur inquam, quia ut vidimus substantia intellectualis imbibitur in ultimo conceptu, & differentia Dei, quia de illo formalissime predicatur, liquidem in sententia huius auctoris talis conceptus ultimus, & differentialis est pura completa intellectio substantialis.

Sed demus substantiam intellectualem non transcendere differentiam Dei, non potest dubitari quin substantia completa, vivens, spiritualis transcendat Deum, ut ipse P. Hurtado docuit ubi supra: ergo caput predicamenti substantiæ, & alia duo predicata illius predicamenti erunt analogi respectu Dei, & creaturarum, & solum unum predicatum intellectuale nimirum erit univocum, quia non transcendit respectu Dei, & creaturarum; atqui quod non est sub capite predicamenti non potest esse in illo predicamento: ergo si Deus non est sub genere supremo, seu sub capite predicamenti substantiæ, quia illud non est univocum, sed analogum respectu Dei ex eo quod transcendat differentiam Dei, nullo modo erit in predicamento substantiæ, etiam si aliquod predicatum illius predicamenti sit univocum respectu Dei, & non analogum ex eo quod non transcendat differentiam Dei.

Vergetur, quia individuum quod est in predicamento est sub omnibus predicatis a summo usque ad infimum sibi convenientibus; unde si non est sub omnibus a summo, ita ut omnia non de illo predicentur, nullo modo reperitur in tali predicamento. Ideo enim Petrus, Bucephalus, & Gabriel Angelus sunt in predicamento substantiæ, quia sunt sub omnibus predicatis superioribus a summo, seu capite illius predicamenti usque ad infimum convenientibus, & proportionatis Petro, Bucephalo, & Gabrieli: sed Deus non est sub omnibus predicatis predicamenti substantiæ, tanquam sub generibus, & univocis: ergo non est in tali predicamento.

Ratio

- 56 Ratio autem videtur à priori, quia linea prædicamentalis non est mixta ex conceptionibus, aut prædicatis analogis, & univocis: sed solum pure constans ex univocis à primo usque ad infinitum; sed respectu Dei, & creaturarum non possunt esse omnia prædicata quæ componunt lineam prædicamenti substantiæ univoca: sed partim sunt univoca, & partim sunt analogica: ergo ex illis non potest fieri unum prædicamentum in quo sint Deus, & creatura.
- 57 Exemplo declaratur hoc manifesto, quia accedens, & substantia non possunt esse in quadam linea, quæ componatur ex ente ut sic, & reliquis prædicatis, etiam si aliquod prædicatum contentum in tali linea esset univocum respectu accidentis & substantiæ, quia caput talis lineæ esset analogum: unde quotiescunque incipit aliqua linea prædicamentalis ab omnibus maxime attenditur, ut caput talis lineæ sit univocum, & non analogum: atqui caput prædicamenti substantiæ scilicet substantia completa ut sic, quia est transcendens ultimam differentiam Dei est analogum sicut ens ad substantiam, & accedens per vos, quia transcendit: ergo nullo modo potest fieri, aut componi ex illo capite, & reliquis prædicatis una linea prædicamentalis sub qua sint Deus, & creatura, membra enim seu partes ut ita dicam, quæ non sunt sub uno capite, nullo modo pertinent ad idem corpus, quia caput univocum debet influere in omnia membra.
- 58 Sed Deus, & creatura non sunt sub uno capite prædicamenti substantiæ scilicet sub substantia completa ut sic, tanquam sub uno conceptu univoco, & generico, quia talis conceptus est analogus respectu Dei: ergo Deus non pertinet ad corpus illud artificiale prædicamenti substantiæ.
- 59 Quod expresse docuerat P. Hurtado in *logica*, disp. 9. sect. 8. §. 108. ibi. Dices secundum Dei attributa posse in prædicamento constitui. Respondetur Deum non constitui in prædicamento substantiæ ut dixi §. 23. sic ille. Verba autem §. 23. sic se habent, Deus autem abest à prædicamento, quia in illis prædicamentorum auctores noluerunt constitui nisi individua creaturæ: vero hæc opponantur ex diametro conclusioni ipsius Hurtado, quam posuit in metaphysica disp. 9. §. 54. ibi: itaque si res metaphysica expendatur, Deus non est expungendus à prædicamento substantiæ ut patet ex argumentorum solutione ipse videtur.
- 60 Præterea, nullo modo toleranda videtur solutio quam his verbis tenuit ipse Hurtado, ubi supra sect. 4. §. 51. in fine. Deinde prædicamentum est series prædicatorum ab individuo usque ad supremum conceptum dividendum ens, quod si in hac serie interijciuntur prædicata analogica, prædicamentum conflabitur ex analogis, quæ vere habent conceptum communem, sic ille. Hæc inquam solutio, quia destruit omnes conditiones prædicamenti nullo modo debet tolerari, quis enim unquam posuit prædicamentum, quod non solum non componeretur ex generibus, neque ex univocis: sed quod absurdum est ex analogis: certe nullus; unde si omnes conditiones stabilitæ prædicamentorum ita evertantur, & funditus labefactentur, non solum dabuntur individua in prædicamentis: sed potius omnia prædicamenta medio tollentur sine ulla dubitatione; unde velint, nolint adversarij cogentur fateri Deum non

esse in prædicamento, quia si prædicamentum non est in eo, non potest quidquam esse, quia quod nihil est nihil continet sub se: ergo si omnes destruuntur conditiones prædicamentorum nullum erit prædicamentum, ac proinde Deus in prædicamento non erit, neque rationabiliter defenduntur conclusiones, quando omnia principia, & iura quibus innituntur res de quibus agimus negantur, & negliguntur, quia contra negantes principia non est arguendum; multo enim facilius erat adversarijs, & magis rationi consonum veritatem hanc sanctorum Patrum auctoritatibus firmam firmis argumentorum lateribus roboratam defendere, quam placitum ita lubricum tueri, ac docere, ut si aliquomodo defendi vellet necesse sit tot veritates convellere, & labefactare.

Tertio probatur principaliter, si Deus ponetur in prædicamento sub aliquo genere, sequeretur existentiam non esse de essentia divinæ naturæ: sed hoc est falsum: ergo id ex quo sequitur minor hæc est manifesta, & docetur, & probatur à P. Hur. in *metaph. disp. 20. de Deo, sec. 2. per 10. tam; præcipue à num. 17. usque ad 19.* ratione autem manifesta sic probatur, quia Deus in primo suo conceptu differt à creatura, in primo, & proprio conceptu illius, quia creatura est ens contingens, Deus autem necessarius; nisi enim formaliter hi conceptus apprehendantur non efformamus proprium conceptum Dei, neque creaturæ: ergo qui proprie concipit differentiam Dei, concipit formaliter necessitatem existendi: sed necessitas existendi est actualitas necessaria existentie; ergo de conceptu essentiali Dei est existentia: ergo falsum est negare existentiam de essentia divinæ naturæ: sequela illa maioris sic probatur, quia quidquid ponitur in prædicamento ponitur præcendendo ab existentia, omnia enim prædicamenta abstrahunt ab actuali exercitio existendi, quod est existentia: ergo si Deus ponitur in prædicamento abstrahitur ab existentia: sed nihil abstrahitur à prædicato quod sit de essentia alicuius, quia res sine omnibus prædicatis essentialibus nullo modo potest concipi neque esse; ergo si Deus poneretur abstractus ab existentia in prædicamento, sequeretur evidenter existentiam non esse de essentia Dei.

Urgetur, nam in rebus creatis in quibus essentia non est ex se, & ex ratione sua formali existens potest abstrahi essentia ab existentia, non tamen in Deo, qui est ens per essentiam, ac proinde de se ipso dicit: ego sum, qui sum, unde ex sua essentia est existens: ergo Deus nullo modo potest poni in prædicamento.

SVBSECTIO II.

Quarta, & quinta ratio ponuntur.

Quarto sic argumentor, quia omne quod est directe in prædicamento substantiæ vel est ut prima substantia (in basi prædicamenti tanquam fundamentum totius ordinis prædicatorum essentialium,) vel tanquam secunda substantia; sed neutro modo est in prædicamento; ergo nullo modo est in illo; hæc minor in qua est difficultas probatur quoad secundam partem, quia omnis secunda substantia aut est communis pluribus inferioribus essentialiter distinctis, aut

Yyy 3 pluribus

pluribus inferioribus solo numero differentibus secundum naturam, & substantiam: atqui Deus non continet sub se plures Deos specie, & essentialiter distinctos, quibus se communicet ut superior inferioribus, solum enim datur in divinis communicatio, qua pater se communicat filio, & Pater, & Filius media spiratione seu per illam se communicant Spiritui Sancto, alia autem communicatio superioris respectu inferiorum dissimilium in essentia, non datur in divinis, nec potest dari, quia de essentia Dei est ut sit singulare, & determinatum individuum.

64 Item Deus non continet plures Deos realiter distinctos, & numero differentes secundum naturam, & essentiam, quibus Deus se communicet ut superior: ergo nullo modo Deus est in prædicamento substantiæ ut secunda substantia.

65 Prima pars illius minoris principalis sic probatur, quia omnis prima substantia quæ in prædicamento collocatur, debet esse sub secunda substantia, aut generica, aut specifica, ut Petrus sub homine, vel ut Gabriel in sententia Thomistarum, sed neutro modo potest Deus esse in prædicamento: ergo non est in illo ut prima, & individua substantia; minor quoad secundam partem sic probatur, quia semper secunda substantia specifica habet plura individua sub se eiusdem speciei, & numero differentia: sed Deus non habet aliud individuum, quod sit eiusdem speciei cum ipso, quia vel illud est Deus, vel creatura; non Deus, quia iam darentur plures dii numero distincti, quod est hæreticum; neque ex creatura, quia nulla creatura est eiusdem speciei cum Deo, cum magis distet Deus à creaturis omnibus quam ab animalibus, & lapides ab Angelis ut de se patet; ergo Deus non est sub secunda substantia specifica: quod autem non sit sub generica; patet ex supradictis, ubi probavimus nullum conceptum posse dari in Deo quod possit esse genus, alias Deus componeretur ex actu, & potentia, quod est falsum.

66 Ultimo probatur ratione, quam ex Durando laudat P. Suarez, quia Deus secundum propriam essentialem, & constitutivam rationem suam non dicit præcisam perfectionem unius prædicamenti, sed omnia includit; formaliter quidem rationes plurium, eminenter autem omnium, non quod rationes aliquæ prædicamentales ut sic in Deo formaliter reperiantur, nam ut constituuntur in prædicamento includunt limitationem, & imperfectionem, quomodo dixit Dionysius cap. 1. de divinis nominibus, Deum esse supra substantiam, & Augustinus 7. de Trinitate, cap. 5. Deum dici abusive substantiam, sed quod formales rationes, & denominationes aliquorum prædicamentorum secundum abstractiorem rationem, & eminentiorem tribuantur Deo cum proprietate, quæ convenientia universalissima interdum est cum primis generibus prædicamentorum, ut maxime constat in substantia, & relatione, interdum cum aliquibus speciebus ut esse sapientem, iustum, &c. quo sensu loquutus est Augustinus in priori loco citato, ex 5. de Trinitate, quod late prosequitur sermone 28. de tempore; alia vero prædicamenta neque huiusmodi convenientiam habent cum Deo, sed solum eminenter in Deo continentur, solumque per metaphoram ei attribuantur; ob hanc ergo causam, & infinitam eminentiam illius rationis constitutive Dei, non potest definiri ad aliquod prædicamentum, sed supra omnia, & extra omnia est tanquam fons omnium.

SECTIO VLTIMA.

Diluuntur Adversaria argumenta.

Ad locum Augustini, præter ea quæ à nobis dicta sunt supra, ubi satis, superque mentem tanti Doctoris explicuimus, Respondeo concedendo duo illa prædicata substantia videlicet, & relationes, hoc est similia illis quæ in prædicamentis ponuntur convenire proprie Deo, non vero cum imperfectionibus, quæ inveniuntur in talibus prædicatis, quatenus in prædicamento ponuntur, & quæ requiruntur necessario ut in illo res collocentur, v.g. imperfectio compositionis simpliciter, rationis incompletæ, generis, & speciei, &c. ideo Divus Augustinus lib. 5. de Trinitate, postquam dixit multa prædicamenta de Deo translatione prædicari, aut affirmari; subdit, si tamen de illo proprie aliquid dici ore hominis potest, ubi & prædicamenta asserit metaphorice, & per translationem de Deo enuntiari, hoc enim sonant illa verba de Deo, multa prædicamenta translatione prædicari, quod ut clarius intelligatur addit verbis citatis, nihil posse proprie attribui Deo de rebus propterea in prædicamento sunt, hoc denotant illa verba, si tamen de illo proprie, &c. quibus aperte satisfactum est menti, & verbis Divi Augustini.

Ad locum Damasceni, respondeo ex illo nullo modo posse colligi Deum poni in prædicamento, nam licet verum sit sanctum Doctorem asserere Deo proprie convenire filiationem, & paternitatem, ab eisque participare creaturas relationes proprias, nihilominus male colligitur, ex illis Verbis Deum in prædicamento poni, quia illæ relationes paternitatis, & filiationis non habent in se imperfectiones quas necessario debent habere ea, quæ in prædicamento collocantur, de quibus iam late egimus supra.

Ad aliud testimonium Damasceni, Respondeo cum P. Vasquez eo testimonio illi non tam curæ fuisse docere Deum esse in prædicamento, quam exempla proponere specierum, & generum, quorum exemplorum non semper requiritur veritas.

Ad locum Aristotelis respondeo, in tali loco non agere de Deo omnium rerum Creatore, sed de substantijs separatis, nomine enim Dei, ut optime notavit Fonseca videtur Aristoteles, non solum hic, sed etiam sæpe ad Angelos significandos, nam tantus Philosophus non poterat tam crasse errare, ut plures Deos, & quidem corporeos doceret, eo modo quo erat necessarium ut Deus esset animal licet immortalis: itaque, licet Aristoteles erraverit, quatenus posuit quasdam substantias superiores hominibus subtilissima corpora habentes, quasque Deos vocat, & ait convenire in ratione animalis cum homine, differre tamen ratione immortalitatis, ponique in prædicamento substantiæ, nullo modo tamen has imperfectiones tribuit Deo, cum certissime demonstraverit Aristoteles in Metaphysica Deum esse unum, incorporeum, & infinitum, ac proinde nullo modo limitibus prædicamentorum definiri.

Nec potest dici cum, qui circa Angelos erravit, erravisse etiam circa Deum tribuendo illi corpus sicut Angelis; non enim hoc potest dici, quia multi ex Patribus etiam tribuerunt corpus Angelis.

Quæst. Vltima Quæ, & qua ratione, &c. 543

lis vt Origenes, Imperator, Cælius dialogo 1. post medium. Basilus lib. 1. de Spiritu sancto, cap. 16. Atanasius lib. de communi essentia Patris in fine, quia definit Angelum esse animal rationale. Diuus Bernardus sermone 5. in Cantica, & lib. 5. de consideratione, c. 4. & Rupertus lib. 1. de Trinitate, & multi alij; & nihilominus nullo modo potest dici Deo hos sanctos tribuisse corpus, & errasse; ita miserrime circa Deum vt ipsum corporeum, & materialem facerent; ergo pari modo non potest colligi Aristotelem errasse circa Deum faciendum eum corporeum, & materialem, ac proinde animal rationale immortale, ex eo quod Angelus tribuerit corpus, & materialitatem, nam ad cognoscendum Deum à posteriori saltem, vt immaterialem, & spiritualem multa media reperiuntur in metaph. quæ nō occurrunt vt cognoscamus naturam Angelicam; vnde non mirum vt circa hanc errent Philosophi, qui solo lumine naturaliducuntur ad indagandas has veritates, quando quidem Doctores Ecclesiæ, qui maiori lumine hucbantur, eodem modo ac Philosophus circa naturam Angelicam procedebant. Ad Porphyrium eodem modo respondeo.

72 Ad primam rationem concedo maiorem, & nego minorem; ad probationem concedo maiorem, & nego minorem vt patet ex dictis.

73 Ad secundam respondetur facile quod quamvis aliqua rationis constitutio possit in Deo cogitari, non tamen hæc quæ est per compositionem generis, & differentia, non quia in rebus creatis genus, & differentia ex natura rei distinguantur; aut propter aliam quamcumque rationem; sed quia dicunt rationes ita præcisas, & limitatas vt repugnent diuinæ infinitati, vt bene ait P. Suarez, nam ex infinitate provenit in Deo vt nulla sit ratio superior, quæ non includatur, & transcendat vltimam differentiam Dei, ac per consequens vt non sit genus, & quia genus vt iam supra diximus petit vt sit extra rationem differentiarum, ac proinde sequitur vt Deus minime in prædicamento reperiatur vt patet ex supra dictis.

74 Ad vltimam rationem respondeo, qualitatem, & quantitatem etiam infinitas esse secundum quid tales; tum quia non sunt per essentiam infinitæ, tum quia non sunt in omni genere entis, sed solum in genere quantitatis, aut qualitatis; vnde etiam si infinita sint sicut sunt imperfecta entia, vt pote accidentia, ita sunt capaces compositionis ex genere, & differentia, quod non mirum cum sint capaces compositionis realis partium integralium, & compositionis cum substantia. Ex quibus euidenter colligitur non posse gradum fieri ad Deum, qui non est infinitus in aliquo genere solum, sed in omni genere, cum summa, & infinita perfectione propter quam est incapax compositionis ex genere, & differentia, quæ necessario requiritur vt res ponatur in prædicamento, vt patet ex supra dictis.

QVÆSTIO VLTIMA

Quæ, & qua ratione in prædicamento collocantur.

75 Tripliciter potest aliquid pertinere ad prædicamentum, primo directe componendo ip-

sam rectam lineam, seu existendo in illa recto ordine, & serie, eo modo quo corpus, viues, animal, &c. pertinent ad prædicamentum substantia; secundum indirecte, seu reductiue, hoc est ad latus vt solet dici, quatenus non per se, & ratione sui, collocantur, & existunt in tali linea, sed quatenus constituunt ea, quæ directe in tali linea ponuntur eo modo quo partes reducuntur ad totum tertio, eo modo quo individuum pertinet ad lineam prædicamenti, quod nec directe est in tali linea constituendo ipsam formaliter, nec reductiue; sed potius tanquam terminus per se, & basis, seu fundamentum, cui totum prædicamentum ædificium innititur.

SECTIO I.

Ponuntur prima, & secunda conclusio.

Prima conclusio: directe solum ponitur in prædicamento ens reale; patet hoc quia illud solum directe ponitur in prædicamento, quod simpliciter, & absolute prædicatur de fundamento prædicamenti, basi, seu termino illius, qui nihil aliud est quam individuum simpliciter reale; sed ens rationis, nullo modo potest absolute, & simpliciter prædicari de individuo reali; quia quod non est simpliciter ens, non potest esse simpliciter prædicatum; ergo ens rationis non ponitur in prædicamento, &c.

Deinde, quia prædicamentum est numerus prædicatorum inter quæ sine dubitatione dantur prædicata realia; sed ens rationis non constituit numerum cum entibus realibus; ergo ens rationis non ponitur in prædicamento.

Si autem velis facere alia prædicamenta fictitia solum entium rationis ad similitudinem prædicamentorum, de quibus agimus, facile patiar, nam in mea sententia ad similitudinem omnium prædicamentorum possunt entia rationis cum fundamento in re excogitari, vt late probatur tractatu de ente rationis, qua fictione liberaberis à cura ponendi ens rationis in prædicamento, siue directe, siue indirecte, quia ens rationis nec reductiue potest poni, cum solum sit ficta quedam similitudo, & non vera entis realis.

Secunda conclusio: Negationes, & privationes omnino excluduntur à prædicamento, quia illud est, vel directe, vel reductiue in aliquo prædicamento, quod participat directe, vel indirecte rationem illius prædicamenti; ideo enim accidentia nec directe nec indirecte sunt in prædicamento substantia; quia nec directe, nec indirecte participant rationem substantia, & contra vero vniuersalis substantialis, & alij modi huiusmodi reducuntur ad prædicamentum substantia, quia saltem imperfecte participant rationem substantia; & ideo modi substantiales dicuntur; sed negationes, & privationes nullo modo participant rationem alicuius prædicamenti, quia omnia prædicamenta sunt entia simpliciter positiva; ergo nullo modo, nec directe, nec indirecte sunt in aliquo prædicamento.

Dices negationes, & privationes esse entia negatiua realia, quatenus sunt negationes entium realium.

Contra, quia dicere quod sunt entia negatiua, est implicatio, sicut v. g. esset implicatorium dicere eacitatem esse visum negativum, nam si est negatio